



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. LII. Quòd apparuit ei Dominus ferens securim in manu sua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

170 VITA B. IOSEPH  
hædo lasciuia despecto, vitulum co-  
medat faginatam.

CAPVT LII.

*Quòd apparuit ei Dominus ferens secu-  
rim in manu sua.*

\* A mira-  
bilibus le-  
gèdum, et si  
Ammira-  
bilibus ha-  
beretur.

**A**\*MIRABILIBVS testimonijs (qui-  
bus coram pluribus testibus San-  
ctum suum mirificare curauit Domi-  
nus, faciēs mirabilia) ad ea, quæ ab ipso  
IOSEPH de ipso audiuius, redea-  
mus. Puto testimonijs præcedentibus  
ita percussas esse & contritas inuiden-  
tium & detrahentium frontes, vt ultra  
ipsi IOSEPH dicere non præsumant:  
Tu de teipso testimonium dicis; testi-  
monium tuum non est verum; cum  
Psal. 91. testimonia eius credibilia facta sint  
nimis. Audiamus igitur & credamus  
veritatem; & nos audire & credere  
gaudeamus. Dispositione diuina in  
quodam aliquando Monasterio mo-  
rabatur, quod multis & diutinis tri-  
bula-

ORDINIS PRAEMONST. 171  
bulationibus agitarum est, & crebris  
disciplinæ Dominicæ percussionibus  
ad extrema perductum. Nomen au-  
tem Monasterij ideò reticemus, ne de  
aliquo videamur infamiam seminare.  
Motus ergo misericordia super Mo-  
nasterij contritione I O S E P H ( in quo  
conterebatur & ipse, qui cum infir-  
mantibus didicerat infirmari ) inuali-  
dam causam sibi, validus Orator, &  
non in legibus hominum, sed in lege  
Domini ( quæ Charitas est ) peritissimus  
Aduocatus, assumpsit: & sumpto thu-  
ribulo orationis incensæ, & hausto  
igne charitatis ardentis, inter Deum  
viuentem & homines mortuos pecca-  
tis medium se obiecit, nitens suauissi-  
mo deuotæ orationis odore senten-  
tiam iam egressam seueri Iudicis vin-  
dicisq̃ placare. Cumq̃ in spiritu  
humilitatis, & animo contrito, non  
desisteret ante faciem Domini intro-  
ire; tandem & ipse Dominus I E S V S  
ad eum venire, & ad orantem introire  
digna-

dignatus est. Venit autem, non vt ex-  
 auditor orantis, sed vt vindex seueris-  
 ſimus delinquentis. Tremebundus  
 enim, & in vultu totius seueritatis ap-  
 paruit, ferens manu securim acutam,  
 tamquã eandem Ecclesiam radicitus  
 excisurus, & funditus euersurus. Terri-  
 tus, supra quàm dici potest, ad tam ter-  
 ribilem Domini venientis adſpectum  
 amabilis interceſſor, tremens & pauẽs  
 ad genua prouoluitur irascentis; &  
 quibus potuit, precibus, lacrymis &  
 gemitibus, tentauit manum continere  
 minantis. Cui Dominus in magna ſe-  
 ueritate, Surge, ait, & adſpice, pro qui-  
 bus intercedas. Conſidera & cognoſce  
 totũ hunc locum nihil viriditatis ha-  
 bere, niſi quantum occupãt pedes tui;  
 & vide qualem cauſſam defendas. Sur-  
 gens IOSEPH, & verborũ Domini ve-  
 ritatem agnoſcens, pauimento iterũ  
 ſe proſtrauit, & non ceſſauit à preci-  
 bus; donec, Domino aliquantulũ  
 placato, vocem Domini, ſe conſolan-  
 tis,

*Agit cauſ-  
 ſam Cœno-  
 bij cuiusdã,  
 corã Chri-  
 ſto illud ex-  
 cidere vo-  
 lents.*

ORDINIS PRAEMONST. 173  
tis, audiret: Ista quidem Ecclesia misericordia se reddidit indignam; sed, propter te, manus iustissimæ ultionis meæ suspenditur ad tempus.

CAPVT LIII.

*Quòd languens non indignit necessitate naturæ.*

**B**ENEFICIA Dei, quibus super humanam naturam auctus fuit noster IOSEPH, huius Capituli breuitas explicabit. Decubuit aliquando, vt putabatur, corporis infirmitate consueta, & (vt postea veriùs comperum est) languebat, Charitatis iaculo vulneratus. Iacuit itaque super stratum suum toto triduo continuato, ita vt nullus omnino per totum tempus illud ad ipsum accederet gratia visitandi. Solebat enim ipse & hoc mihi sæpiùs replicare, quòd aliquando hominum gratia ita fuit ab ipso sublata, vt quibusdam, quidquid ageret, penitens

tus